Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput VII

urn:nbn:de:bsz:31-97032

Visual Library

nengi proditur teſtimonio. *Geſnerus* ſe ex erudito quodam Hungaro accepiſſe ſcribit, in Tibiſco eundem captum, ſeptem vel octo Cubitorum plauſtrum occupantem. Eum in fluvio annis ſedecim, ſub culina viri cujuſdam nobilis latuiſſe; hamo tandem ineſcatum, cum fæturam ſuam cuſtodiret, ubi ſe captum ſenſit, exiliiſſe; ſecutos impetum ejus piſcatores ad miliaria duo, denique defatigatum cepiſſe, & in oppidum Nadlac vexiſſe. Ibi in ejus ventre caput humanum, cum dextra manu & tribus annulis aureis inventum eſſe. *Glaucus* hepar habet ſpongioſum, in duos lobos diſtinctum, quorum ſiniſter latior eſt. A dextro autem lobo veſicula fellis parva, piſi magnitudine, velut ex filo trium digitorum longo dependet, atque in fundo ſtomachi quandam apophyſin, in alio piſce vix conſpectam, gerit, præter quinque alias in pyloro ventriculum obſepientes.

## CAPUT IX.
## DE HARENGO & HUSONE.

HArengum aqua vivere *author libri de natura* teſtatur, extractum ex ea non vivere experientia teſtatur. In ejus ventre nil invenitur, quia jejunum tantum habet inteſtinum. Tam magnis ſimul agminibus natant, ut præ multitudine capi nequeant. Lumen ubi conſpexerint, gregatim adnatant, & ſic autumnali æquinoctio capiuntur. Ventribus verſus ſummum æquor obverſis lucent in aqua, & tantum de ſe emittunt ſplendorem, ut mare fulgurare videatur. Mirum eſt quod nonnulli narrant de terræ ſanctæ Oceani Germanici inſulæ incolis, nempe cum circa annum poſt virginis partum MDXXX. ex Harengorum captu bis mille hominum vitam ſuſtinerent, per petulantiam vero aliquando unum ex captis, virgis cecidiſſent, adeo imminutos ibi fuiſſe hoſce piſces, ut poſtmodum vix centum eo quæſtu vixerint. *Huſonibus* loco ſpinæ dorſi cartilago eſt, quæ foramen habet magnum & vacuum, à capite ad caudam quaſi terrebello perforatum